



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De voluntatibus Christi secundum duas naturas. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

SI OMNIS CHRISTI ORATIO VEL
voluntas expleta sit.

DISTINT. XVII.

*Quomodo
Christi in-
carnatio or-
dinatur ad
nostram re-
demptionē,
quātum ad
usum vir-
tutis, pra-
sertim de
voluntate
& oratione.
Matt. 26. d.*

*Lib. de Ge.
ad litteram
10. ca. 1. ad
medium.
Ad Gal 5
ca. ibidem
in princip.
cap. 12. Ibid.
paulo infe-
rius. Ibid
paulo supe-
rius.*

Post praedicta considerari oportet, vtrum Chri-
stus aliquid voluerit vel orauerit quod factum
non sit? Hoc enim existimari potest, per hoc quod ip-
se ait, Pater si possibile est, transeat a me calix iste:
Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis.
Hic namque voluntatem suam a patris voluntate
discernere videtur.

De voluntatibus Christi secundum duas naturas. B

Quocirca ambigendum non est, diuersas in Chri-
sto fuisse voluntates, iuxta duas naturas, diuinam
scilicet voluntatem & humanam. Humana volun-
tas est affectus rationis vel affectus sensualitatis:
& alius est affectus animae secundum rationem, a-
lius secundum sensualitatem: vterque tamen dicitur
humana voluntas. Affectu autem rationis id vole-
bat, quod voluntate diuina scilicet pati & mori, sed
affectu sensualitatis non volebat, imò refugiebat:
nec tamen in eo caro contra Spir. vel Deum con-
cupiscebat, quia vt ait Aug. nonnullum est vitium
cum caro concupiscit aduersus Spir. Caro autem
dicta est concupiscere, quia hoc secundum ipsam
agit animam: sicut anima per aurem audit, & per
oculum videt. Caro n. nihil nisi per animam con-
cupiscit. Sed concupiscere dicitur, cum anima car-
nali concupiscentia spiritui reluctatur, habens car-
nalem delectationem de carne & a carne aduersus
delectationem quam Sp. habet, ipsius autem car-
nalis concupiscentiae causa non est in anima sola,
nec in carne sola: ex vtroque enim fit: quia sine v-
troque delectatio talis non sentitur. Talis ergo rixa
talisque concertatio in anima Christi nullatenus es-
se potuit, quia carnalis concupiscentia ibi esse ne-
quiuit. Dei etiam voluntas erat: & rationi place-
bat, vt illud secundum carnem vellet, quatenus
veri-

veritas humanitatis in eo probaretur. Nam qui hominis naturam suscepit, quæ ipsius sunt subire debuit. Ideoque sicut in nobis duplex est affectus, mentis, scilicet & sensualitatis: ita & in eo debuit esse geminus affectus, ut mentis affectu vellet mori, & sensualitatis affectu nollet: sicut in viris sanctis fit. Petro ipsa veritas dicit. Cum senueris, extendes manus tuas, & alius præcinget te, & ducet te quo non vis. scilicet ad mortem. Quod exponens Aug. dicit quod Petrus ad illam molestiam nolens est ductus, nolens ad eam venit, sed volens eam vicit: & reliquit affectum infirmitatis, quo nemo vult mori: qui adeo est naturalis, ut eum Petro nec senectus abstulerit. Unde etiam Dominus ait. Transeat à me calix iste: sed vicit eum vis amoris. Ergo & in Christo secundum humanitatem, & in membris eius geminus est affectus: vnus rationis charitate informatus quo propter Deum quis mori vult: alter sensualitatis, carnis infirmitati propinquus, & ei coniunctus, quo mors refugitur. Ut enim Augustinus ait. Paulus mentis ratione cupit dissolui & esse cum Christo, sensu a carnis refugit & recusat. Hoc habet humanus affectus: quoniam diligit vitam, odit mortem. Secundum istum affectum Christus mori noluit, nec obtinuit quod secundum istum affectum petiit.

Aucto. ita probat diuersas in Christo voluntates. C

Ex affectu ergo humano quem de virgine traxit, volebat non mori, & calicem transire orabat. Unde Beda; Orat transire calicem, quia homo erat: dicens, Pater, transeat à me calix iste. Ecce habes voluntatem humanam expressam. Vide iam restum cor. Sed non quod ego volo, sed quod tu vis. Unde alibi. Non veni facere voluntatem meam, quam, scilicet temporaliter sumpsi ex virgine: sed voluntatem eius qui milit me, quam, scilicet æternus habui cum patre. Hic aperte dicit duas in Christo fuisse voluntates, secundum quas diuersa voluit. Hier.

*Ioan. ult. f
in tom. 6.*

traçt. 113.

Ioan. 21

*Cum senue-
ris*

Matth. 26. d

Ad Phi. 1. d

Aug. 1. in

Epi. 1. o ad

Honoratū,

de gratia no-

ui testamēti.

Cap. 6. 20. 2.

Beda lib. 4.

comment.

ad illud. 14.

Mar. Pater

si fieri potest.

Ioan. 6. d

Mar. 14. d

quo-